EXTRAIT
DES ANNALES DES SCIENCES NATURELLES
JANVIER 1836.

JUNGERMANNIEARUM *Herbarii Montagneani* SPECIES

Exposuerunt C. G. NEES ab ESENBECK et C. MONTAGNE.

I. PLAGIOCHILA.

Radulæ subdivisio 3, *Plagiochila* Dumort. Syll. (*Jungermanniæ asplenioideæ* N. ab E.).

Meritò distinctum genus exstruunt species hujus subdivisionis.

Perianthium terminale aut in ramulo proprio brevi laterale, compressum, ore obliquè truncato magis minùsve ciliato aut denticulato sæpè decurvo. *Involucri* folia à caulinis haud diversa.

Flores masculi spiciformes, distichi, ex apice ramum continuantes, foliis perigonialibus minoribus arctissimè imbricatis.

Plantæ pro familiâ speciosæ, caule primario procumbente, repente; ramis erectis aut decumbentibus, bifidis, dichotomis vel subdendroideis. Folia succuba, dimidiata, sæpè subsecunda, margine dorsali recto reflexo in caule decurrente, ventrali magis minùsve arcuato et in plerisque denticulato aut ciliato. Amphigastria in aliis obvia, in aliis nulla.

Species anomalæ foliis suboppositis forsan proprium genus constituunt.

1. *Plagiochila corrugata* (*Jungermannia corrugata* N. ab E. in Mart. Fl. Br. I. 1. p. 378.)

Var. amphigastriis obsoletis. An species diversa? (Herb. Montag. n. 31.)

2. *Plagiochila javanica* (*Jungermannia javanica* Sw.). Brasilia. (Montag. n. 64.)

Var. foliis totis ferè subtùs decurrentibus apice dentatis projecturâ apice fimbriato-lacerâ, margine ventrali repando subbidentulo.

Folia minùs ac in communi formâ decurva, ferè horizontaliter patula, densissimè imbricata.

3. *Plagiochila Montagnei* N. ab E.

P. caule repente, ramis erectis dendroideo-dichotomis rigidulis, foliis semiverticalibus imbricatis, plano-distichis dimidiato-ovatis obtusis vel acutiusculis antrorsùm apiceque ciliato-dentatis, fructu in ramis terminali, perianthio ovato dorso ventreque carinato, ore compresso dentato-ciliato. Tab. 2, fig. 1.

Jungermannia Martiana, Montag. in Ann. des Sc. nat. 1835, avril, p. 26, n. 41 (excl. syn.) In Guiana centrali ad terram et in ramulis emortuis frequens. Januario et Februario cum fructu lecta à Cl. Leprieur (Montagne.)

Similis *Jungermanniæ Martianæ* N. ab. E., differt autem : ramis haud elongato-dichotomis flaccidis, sed rigidulis, tractu quodam à basi simplicibus dein subfasciculatim et dendroideo-divisis in ramos complures breviusculos dichotomos subæquales, uno alterove tantummodò magis elongato et veluti prolifero-innovante, tum foliis arctiùs confertis dentibusque longioribus ciliiformibus præditis, basi anticâ in cristam conniventibus ; perianthiis denique dorso convexis augustè carinatis, carinâ denticulatâ, antè os verticaliter compressis (dentato-ciliatis). Pedunculus 1-2 lineas longus. Capsula subglobosa, brunnea.

4. *Plagiochila* (*Jungerm.*) *dichotoma* Web.

Adsunt duæ formæ è regno Chilensi allatæ, quarum et una et altera foliis gaudet anticè denticulatis.

Altera autem rigida, valida, gaudet ramis *simpliciter divisis* (*Jungermannia* Bertero, n. 1563, Herb. Hochstett.)

Altera autem ramis basi integris apicem versùs *dendroideo-ramosis*, ramulis in planum expansis bifidis pluriesve dichotomis decurvis mollioribus. Pars inferior rami, quoad is non dividitur, foliis multò minoribus vestita est. Verbo, hæc forma omninò similis est *Jungermanniæ giganteæ* Hook., differt autem foliis haud subrotundis sed longioribus quàm latis, obovatis aut obovato-oblongis. Fructus latet. An distincta species ?

Hujus loci *Jungerm.* Collect. Bertero, n. 1600, in Herb. Hochstett. et *J. an gigantea ?* n. 13, Herb. Montag.

II. JUNGERMANNIA.

Subdivis. I. *Integrifoliæ.*

1. *Jungermannia crassula* N. et M.

J. amphigastriis, caule repente infrà apicem innovante, ramis gracilibus prostratis, foliis ovatis concavis submarginatis marginibusque incurvis integerrimis, antrorsùm patulo-imbricatis, ramorum multò minoribus distantibus, retis areolis ob spissitudinem irregularibus parvis; perianthio terminali inflato ovato ore plicato angulato obtuso, involucri foliis conformibus patulis perianthio paulò brevioribus, capsulâ.....

Jungermannia crenulata N. ab E. in Mart. Fl. Bras. I, 1, p. 342 (excl. syn.) *J. Belangeriana* Montag. Ann. des Sc. nat., août 1835, p. 99, n. 158, nec Lehm.

In Juan Fernandez insulâ, ad terram inter *Peltigeras.* Montag.

Proxima sanè *Jungermanniæ crenulatæ* sed diversa : caule minore, vix 1-4 lineas longo, foliis ferè verticalibus ovatis valdè concavis dorso convexis (ideoque surculo fertili haud plano-compresso) haud distinctè marginatis spissioribus et cellulis, propterea quod duplici strato sibi incumbunt, primo intuitu valdè irregularibus angustis opacis, reverà tamen satis magnis subrotundis lineis angustis discretis, marginalium serie duplò ferè angustiore quàm in *J. crenulatâ*; colore viridi : perianthio magis ventricoso primum quidem acuto, apiceque subquadrangulo dein verò obtuso infernè magis tumente et lævi, ore obtusè complicato et veluti contorto. Pistilla 4-5, cylindrica basive subventricosa, obtusa, pallidè rubicunda.

Subdivis. II. *Dentifoliæ.* b. Bidentes.

2. *Jungermannia? contortuplicata* N. et M.

J. amphigastriis nullis, caule repente ramoso flexuoso, foliis ovalibus oblongisve lateribus rectiusculis subhorizontalibus planis imbricatis aut distantibus per intervalla majoribus mino-

ribusque apice emarginato-bi-tridentatis integerrimis, retis areolis parvis subrotundis limitibus validiusculis contiguis, fructu.....

In Insula S. Domingo ad truncos putridos. Herb. Montag. n. 37 à cel. Bory communicata.

Species parùm conspicua, at distinctissima *Geocalycis* probaliter aut *Lophocoleæ* generis civis. *Caulis* 1/4–1 poll. longus, filiformis, irregulariter ramosus, flexuosus et intricatus per intervalla radiculosus, fuscescens, rigidulus. Folia succuba, parùm inclinata, patentia parùmper adscendentia, plana, ovalia, aut ovali-oblonga, in dorso parumper decurrentia nec medium caulem attingentia, in ventre magis adhuc distantia; inferiora minora et dissita; superiora caulium majora, semi-lineam fere longa et imbricata, ramorum inferiora minima, alia hinc approximata, pleraque apice truncato-aut subretuso-bidentata, alia tridentata, denticulis ubicumque parvis mucronuliformibus; inferiora folia quandoque et obtusa, mutica aut altero fine unidentula. Color viridis. Substantia rigidula; in humido statu strictiuscula sunt folia. Rete ut in *Geocalyce graveolente*.

III. LOPHOCOLEA N. ab E.

1. *Lophocolea Orbigniana* N. et M.

L. caule subsimplici flexuoso adscendente, foliis subsemiverticalibus orbiculatis convexis undiquè longè dentato-ciliatis, amphigastriis distantibus cum folio cohærentibus ovato-subrotundis apice basique utrinque ciliato-bidentatis è dorso infero radicantibus; fructu.....

In Peruviâ inter muscos à cl. d'Orbigny lecta et in collect. Mus. Paris. sub n. 183 asservata.

Hæc ut et sequentes ab eodem cl. peregrinatore lectæ species in opere ejus quod sub titulo: *Voyage dans l'Amérique méridionale*, etc. nunc divulgàtur, fusiùs describendæ nec non iconibus illustrandæ sunt. Montag.

2. *Lophocolea æquifolia* N. et M.

L. caule brevi per intervalla repente inordinatè ramoso, ramis decurvis, sterilibus apice attenuatis, foliis lato-ovalibus semiverticalibus integris apice rotundatis aut obscurè repandis convexis pallidis, amphigastriis folio duplò triplòve minoribus contiguis rhombeo-ovatis quadrifidis, laciniis lanceolato-subulatis,

mediis sinuque medio majoribus, perianthio terminali, involucri foliis amphigastrioque reliquis conformibus. Tab. 1, fig. 1.

N. ab E. Hepat. Eur. II. p. 341. Adnot. (Bertero in Herb. Hochstett. n. 1598. Montagne, Herb. n. 12.)

In Juan Fernandez insulæ sylvis umbrosis montium editiorum ad arborum truncos emarcidos corticesque putridas secùs rivulos mense Aprili anni 1830 cum calycibus legit Bertero.

Species *Lophocoleæ heterophyllæ* persimilis, sed differt imprimis : ramis sterilibus attenuatis elasticè decurvis, foliis conformibus haud emarginatis vix unquàm subretusis aut circa apicem subrepandis, involucralibus omninò conformibus; amphigastriis minoribus rigidioribus patulis, usque ad medium sinu obtuso bifidis et utrinque paulloque inferiùs laciniâ nonnihilo minore et angustiore præditis; hæ laciniæ autem omninò integerrimæ sunt, obtusiusculæ, breviores quàm in L. *heterophyllâ*; raro accedit dens alter lateralis. Amphigastrium involucrale paulò majus est reliquis neque adeò profundè divisum, cæterùm illis simile. Perianthium involucro duplò longius, supernè triquetro-compressum ore trilobo, lobis inæqualiter dentatis. Capsula (junior et in calyptrâ obovatâ stylo brevi præditâ adhùc inclusa) oblonga setâ basi bulbosâ suffulta.]

3. *Lophocolea* (*Jungerm.*) *amphibolia* N. ab E. in Mart. Fl. Bras. I. 1. p. 334.

Synon. adde: *Jungermannia integrifolia* L. et L. in Lehm. Pug. VI. p. 32.? *J. heterophylla* Montag. Ann. des Sc. nat. 1835 (août) p. 95. excl. synon.

Variat enim nostra foliis angustioribus et latioribus, cauleque viridi et (per ætatem) fusco.

In Chili legit Bertero n. 1570 Herb. Hochstett. n. 1573. Herb. Montag. (Vidi etiam in Herbario Funckiano ex Andibus Antuccensibus regni Chilensis allatam. N. ab E.)

IV. RADULA N. ab E.

(*Radulæ* Dumort. subdivis. 1. *Radulotypus.*)

Radula xalapensis N. et M.

R. caule procumbente densè pinnatim-ramoso, foliis densissimè imbricatis orbiculatis obtusis integerrimis basi compli

catis, lobulo latè subquadrato marginibus undato-reflexis; fructu.....

Ad Jalapam (vidi in Herb. Funck. N. ab E.) In Peruviâ, ad *Stictam cometiam* repens. Herb. Montag.

Similis *R. complanatæ* à quâ differt: lobulo foliorum multò majori undato basique, ubi inflectitur, dilatato et nonnihil patulo, quo fit, ut caulis et rami a ventre visi, medio undato-crispati appareant. Color luteus.

A *R. pallescente* non tantùm foliis sed et ramificatione pinnatâ distinguitur.

V. LEJEUNIA Lib.

Subdivis. 1. *Macrolobæ s. Platyphylloideæ.*

1. *Lejeunia madagascariensis* N. et M.

L. caule procumbente irregulariter ramoso-decomposito subpinnato, foliis imbricatis planis ovatis obtusis apice subrepandis, lobulis oblongis amphigastriisque cordato-ovatis obtusis decurrentibus planis repandis basi apiceque spinuloso-denticulatis; fructu.....

Habit. secùs rivulos in Madagascar insulâ. Herb. Montag. n. 65. Exemplaria à cl. Goudot communicata.

Ex affinibus solæ *Lejeuniæ Swartzianæ* (ad quam *J. lævigata* β. Fl. Bras. pertinet) conjunctior, cui accedit lobulo amphigastriisque dentatis, sed differre videtur: foliis minoribus brevioribus minùs dimidiatis, neque margine postico recurvis, omninò planis depressis apice potiùs adscendentibus quàm decurvis, reti angustiore cellulisque intercalaribus haud distinctis, lobulis et amphigastriis angustioribus caulem infernè haud imbricatim tegentibus sed plano-incumbentibus, lobulis acutiusculis evidenter repandis et obtusè dentatis, basi cordatâ utrinque decurrentibus ibidemque acutiusculè denticulatis sicuti et apice, ubi rectè ferè truncata inveniuntur amphigastria.

Observ. *Lejeunia Swartziana* occurrit amphigastriis magis minùsve, præsertim basi, quandoque et apice, spinuloso-dentatis. Ad hanc spectat *Jungermannia lævigata* var. β Fl. Bras. I. 1. p. 345.

2. *Lejeunia subsquarrosa* N. et M.

L. caule repente irregulariter subbipinnato, foliis imbricatis

haud decurrentibus lobulisque obliquè ovatis obtusis integerrimis, amphigastriis parabolico-ovatis appressis obtusis margine undique revolutis, cellulis intercalaribus distinctis; fructu.....

In Juan Fernandez insulâ, ad terram inter *Peltigeras*. Herb. Montag.

Species distincta, licet maximè propinqua *Lejeuniis platyphyllæ, platyphylloideæ* et *naviculari* à quibus cunctis differt : retis areolis subrotundis intercalaribus triangulis distinctissimis disjunctis, quæ in speciebus memoratis vix unquàm discernuntur. Ramificatio irregularis, inordinatè subpinnata. *Caulis* rigidulus, rufescens. *Folia* obliquè ovata rotundata semiverticalia conferta quidem et imbricata sed neutiquam sibi arctè incumbentia, potiùs angusto intervallo dehiscentia, sordidè viridia, opaca, obliquè ovata, rotundata integerrima ; lobulus folio duplò minor, ovatus, obtusus, concaviusculus aut planus, patulus neque verò à folio suo decurvus. *Amphigastria* lobulorum magnitudine, cauli tàm arctè incumbentia ut solis ex marginibus reflexis dignoscantur, hinc, cùm solvantur, in medio secundùm omnem longitudinem ventricosa, in ambitu reflexa, ovata, basi hastato-decurrentia, apicem versùs leni sinu coangustata, apice rotundata, texturæ ferè foliorum sed paulò densioris. *Fructus* deest.

Fructificatio ♂ in ramuli, apice innovantis, basi sita, ovalis, densè imbricata foliis basi saccatis inæqualiter bilobis obtusis, amphigastriis parvis, ovatis. Antheræ subglobosæ, parvæ, pellucidæ, filamento brevi suffultæ.

In *Lejeuniis platyphyllâ* et *naviculari* lobuli et amphigastria laxiùs patula, margine latiùs recurva ; *Lejeuniæ platyphylloideæ* amphigastria ferè reniformia sunt, latiora magis quàm longa, basi altè decurrentia.

3. *Lejeunia* (*Jungerm.*) *Cordæana* Hüben.

Habitat etiam in Galliâ circà Pontivy et Andegavum ubi à cl. Guepin sterilis lecta, mecum sub nomine *J. platyphyllæ* var. *terrestris* communicata fuit. (Montagne.)

4. *Lejeunia* (*Jungerm.*) *platyphylloidea* Schweinitz.

Habitat et in Corbariis montibus, loco Saint-Antoine de Galamus dicto, et in Madeira insulâ. (Herb. Webb et Montagne.)

5. *Lejeuniæ* (*Jungerm.*) *reflexæ* Lehm. et Lind.

Adde synon.: *Jungermannia madida*, N. ab E. in Martii Fl. Bras. I. 1. p. 362, n. 46.

6. *Lejeunia clandestina* N. et M.

L. caule procumbente pinnatim ramoso, foliis imbricatis semicordato-orbiculatis obtusis lobuloque lanceolato acuto tecto integerrimis, amphigastriis orbiculatis emarginato-bidentatis imbricatis folia subæquantibus; fructu.....

In Peruviâ cum *Lejeuniâ bicolore* et *Jubulâ hiante* super *Collema azureum* reptantem legit cl. d'Orbigny. Herb. Mus. Paris. sub n. 192.

Subdivis. II. *Microlobæ* s. *Complicatæ*.

A. Amphigastriatæ †. Amphigastriis integris.

7. *Lejeunia languida* N. et M.

L. caule repente subfasciculatim ramoso, ramis elongatis, foliis horizontalibus plano-patentibus subimbricatis ovatis apice acutè denticulatis acutisque, basi breviter complicatis flaccidis, amphigastriis subdistantibus cordato-orbiculatis rotundatis integerrimis; fructu.....

Jungermannia flaccida Montag. mss.

In Peruviâ à cl. d'Orbigny sed sterilis lecta et in collect. Mus. Paris. n. 194 asservata.

Soli *Lejeuniæ* (*Jungerm.*) *semirepandæ* Hep. Jav. comparanda à quâ differt ramis simplicibus, foliis viridibus flaccidis margine haud repandis, amphigastriis minoribus haud imbricatis.

Nomen *L. flaccidæ* ab Hübenero priùs, licet perperam, usitatum cum alio similique commutavimus.

8. *Lejeunia axillaris* N. et M.

L. caule ramoso, ramulis apicem versùs bi-trifidis patulis, foliis subverticalibus imbricatis decurvis ovatis, apice bi-tridentatis margine integerrimis basi decurrenti-saccatis, lobulo obliquo truncato, amphigastriis folio dimidio minoribus orbiculatis in-

tegris et integerrimis margine subreflexo, fructibus in dichotomiâ subsessilibus, perianthio ovato triquetro angulis ciliatis.

In *Peltigeris* Peruviæ cum *Jubulâ atratâ* legit cl. d'Orbigny. Collect. Mus. Paris. n. 219.

Lejeuniæ debili affinis, differt amphigastriis integerrimis orbiculatis haud cordato-ovalibus cæterisque notis. *Lejeunia brachiata* multò major est et latior, foliis apice rotundatis haud decurvis, etc.

9. *Lejeunia* (*Jungerm.*) *debilis* Lehm. et Lind.

Occurrit foliis apice integerrimis, modò obtusis, modò subtruncatis alteroque angulo acutiusculis, tùm verò et foliis magis minùsve bidentulis. Amphigastria apice brevi angustoque sinulo emarginata, lobis latiusculis acutiusculis (in speciminibus Lehmannianis), vel obtusis (in nostris plerisque), persæpè ob laxitatem amphigastrii contiguis vel sibi ita incumbentibus ut oculis fucum faciant *integrumque* amphigastrium effingant.

Phrasis characteristica in cl. Lehmann. Pugill. IV, p. 51 paucis reformanda.

L. caule repente filiformi vagè ramoso, foliis semiverticalibus obliquè cordatis apice angustioribus modò obtusis, modò acutiusculis aut truncato-subbidentulis basi decurrente subtùs breviter complicatis, amphigastriis folia æquantibus cordato-ovalibus subpeltatis angustè emarginato-bifidis, laciniis parallelis subcontiguis acutis obtusisve.

Habitat etiam in Peruviâ. Herb. Montag.

10. *Lejeunia subaurita* N. et M.

L. caule arctè repente subpinnatìm ramoso fasciculatove, foliis semiverticalibus arctissimè imbricatis ovato-subrotundis integerrimis basi sinuato-inflexis, lobulo sinu discreto rotundato obtuso apice fornicatìm recurvo, amphigastriis folio duplò minoribus ex obovato-subcuneatis imbricatis integerrimis planis; fructu.....

In cortice Cinchonæ. (Herb. Montag.)

Affinis *Lejeuniæ* (*Jungerm.*) *cognatæ* Fl. Bras. sed diversa videtur amphigastriis ex obovato-subrotundis integerrimis, margine tamen antico et lateralibus

rectiusculis et his verò basin versùs conniventibus, quo cuneiformes quodammodo fiunt amphigastria. Lobulus foliorum conspicuus, sinu parvo inchoans, ferè semicircularis, extrorsùm propter marginem superum latè recurvum fornicatus, folio multò tamen minor. Pars lobuli recurva margine plicaturæ (i. e. plica ipsa à quâ lobulus incipit) brevior est et in folium acuto fine transit; in *Lejeuniâ cognatâ* autem lobulus omninò est cucullato-fornicatus utroque fornicis margine æquè alto, obtuso fine à folii proximo margine discreto. Reliqua omninò congruunt. An igitur hæc cum *L. cognatâ* conjungenda? Color in utraque lutescens, purus. Areolæ retis pellucidæ limitibus validiusculis; cellulæ intercalares parvæ distinctæ.

11. *Lejeunia trigona* N. et M.

L. caule repente inordinatè subpinnatìmque ramoso laxiusculo, foliis imbricatis apice decurvis ovato-subrotundis obtusis integerrimis subtùs saccato-complicatis, lobuli margine integerrimo, amphigastriis remotiusculis suborbiculatis integerrimis planis foliis triplò minoribus; fructu axillari subsessili, involucro sæpè nullo, perianthio obovato obtusè triangulo apice trilobo.

In Peruviâ ad terram rupium in montibus excelsis legit cl. d'Orbigny. Collect. Mus. Paris. n. 395.

Proxima *Lejeuniæ* (*Jungerm.*) *subfuscæ* Hepat. Jav. à quâ differt: perianthio lævi apice obtusè trilobo deorsùm obsoletè triangulo lateribus sulculo leviter indicatis, emisso fructu denique convexis, nec compresso marginibus serratis! *A Lejeuniis polycarpâ* et *torulosâ* non perianthio tantùm, sed etiam amphigastriis differt minoribus minimèque imbricatis.

†† Amphigastriis bifidis.

12. *Lejeunia* (*Jungerm.*) *pulvinata* Lehm. Pug. V, p. 15, n. 15.

Var. γ *major* N. et M.

Foliis amphigastriisque pauló laxiùs dispositis, illis margine dorsali vix basi inflexo, retis areolis obscurioribus, intercalaribus majoribus. An distincta species?

Callao, in Peruviæ montibus à cel. Gaudichaud lecta et cum Montagneo communicata.

13. *Lejeunia thymifolia* N. ab E. var ?

Amphigastria cordato-subrotunda, acutè bifida; inferiora et superiora distantia, folio minora; *media contigua aut imbricata, folia æquantia. Folia* omninò *L. thymifoliæ* β *laxæ.*

Ex ins. Maris pacifici. Herb. Montag.

14. *Lejeunia Neesii* Montag.

L. caule arctè repente ramoso-divaricato substellato, foliis oblongo-falcatis acutis subintegerrimis obliquè adscendentibus subtùs ad basin angustè complicatis plicâ elongatâ, amphigastriis distantibus parvis bifidis, laciniis rectis aut divergentibus acutis; fructibus in ramulo brevi erecto terminalibus, perichætii foliis caulinis minoribus subintegerrimis; perianthio obovato-subgloboso quinquangulari angulis integerrimis; capsulâ tenerrimâ globosâ quadridentatâ. Tab. 2, fig. 3.

In frustulo folii cujusdam è Chili allato. (Herb. Montag. n. 17.)

Elegans plantula, *L. hamatifoliæ* Hook. propinqua. *Caules* densè aggregati, 1-3 lin. longi flexuosi ramosi ramis divaricatis, laxè cellulosi, uti folia albo-hyalini, radiculis papillaribus ad basin amphigastriorum provenientibus arctè repentes. *Folia* quàm pro plantæ staturâ majora, approximata neque imbricata, semiverticalia, oblonga basi angustiori margineque hinc postico inflexo, apice obliquè acuminata, integerrima, quandoque repanda; retis areolæ hexagonæ, lineis duplicibus discretis tenerrimis; intercalares distinctæ at minimæ. *Amphigastria* foliis triplò-quadruplòve minora, alternatìm uni alterique folio adjecta, subovata, ad medium acutè bifida, integerrima, obliquè patula; ad ramorum originem amphigastria quandoque et tri-quadrifida laciniis angustioribus; textura eorum eadem quæ foliorum. Ramus fertilis ex inferiori parte caulis, cum perianthio suo folio paulò longior, erectus. Amphigastrium ad basin ejus tri-quadrifidum. Folium involucrale unum alterumve caulinis simile, perianthium æquans, obtusiusculum, subtùs complicatum, lobulo angusto truncato acuto perianthium amplectente. *Perianthium* primùm ovato-subglobosum, basi attenuatum, angulis 5 acutis integerrimis quasi alatum vertice depresso cum mucronulo, demùm truncatum, apertum obovatum. *Calyptra* perianthio paulò brevior, ovalis, densiùs reticulata, ore angustè dehiscens. *Seta* brevissima. *Capsula* parva, alba, globosa, usque ad medium quadrifida, valvulis erectis ovatis acutis; retis areolæ amplæ, subrhombeæ, irregulares interstitiis grossis. *Elateres* valvularum apicibus

adfixi, tubulosi, apice truncati, apertique, fibra simplici irregulariter torta, gyris utriculo angustioribus. *Semina* globosa muriculata.

Locus in systemate juxtà *L. vitream, hamatifoliam, maculam, palmifoliam.*

Adnot. Differt imprimis à *Lejeuniâ hamatifoliâ* Hook., lobulo foliorum angustiori at longiori, et angulis perianthii integris nec dentatis, tùm involucri foliis caulinis subsimilibus nec bifidis dentatis. Occurrunt autem hinc indè et minora folia lobulo, seu plicâ, brevi latiori rotundatoque prædita foliisque *L. hamatifoliæ* simillima.

15. *Lejeunia trematodes.* N. ab. E.

L. caule repente divaricato-ramoso appresso, foliis subdistantibus subverticalibus obliquè obovatis cuspidulatis integerrimis subtùs complicatis lobulo oblongo integro inflato, rete amplo subbiseriatìm grossè poroso; amphigastriis distantibus profundè bifidis laciniis subulatis divergentibus; fructu... Tab. 1, fig. 3.

In folio quodam exotico (Herb. Göpperti, patria latet.)

Similis *Jungermanniæ* (*Lejeuniæ*) *inchoatæ* Lehm. et Lind. sed differt foliis margine haud dentatis nec ferè omninò repandis, et poris magnis rotundis (plerumquè senis) in series duas longitudinales dispositis, quarum altera è quatuor, altera, basin versùs abrupta, ex binis tantummodò constat poris. Amphigastria singularia, ad basin radices promentia. Juniorum ramulorum folia magis oblonga.

Jungermannia (*Lejeunia*) *pertusa* Cord. ic. ined. differt à nostrâ foliis obtusis latioribus poro uno rariùsve binis pertusis.

B. Anamphigastriatæ.

16. *Lejeunia Erysibe* N. et M.

L. caule pusillo ramoso repente parasitante, foliis subverticalibus obovato-subrotundis basi saccato-complicatis lobulo truncato, fructu...

In *Jungermanniâ contortuplicatâ* insulæ Haiti unicum specimen inveni. N. (Herb. Montag.)

Differt à *L. cucullatâ* lobulo foliorum minore sinu haud discreto et colore viridi. Lineam unam et sesquialteram longa, tenerrima.

VI. JUBULA Dumort.

1. *Jubula obscura.* Sw.

Varietatem (?) perianthiis costato-striatis Bertero propè Quillotam in regni Chilensis montosis ad cortices arborum legit. Vidi in Herb. cl. Hochstett. (N. ab E.)

An species distincta? Sed reliqua structura partium congruit cum *Jubulâ obscurâ.*

2. *Jubula quillotensis.* N. et M.

J. caule pinnatim decomposito diffuso, foliis imbricatis patulis cordato-orbiculatis integerrimis basi ventrali inflexâ auriculigerâ, auriculâ revoluto-cucullatâ acumine brevi subulato, amphigastriis obovato-subrotundis patulis margine subreflexis dorso styliferis bifidis sinu laciniisque acutis; fructu in ramis terminali, foliis involucralibus integerrimis auriculâ subulatâ canaliculatâ, amphigastrio involucrali magno bifido laciniis subulatis infernè basique dentatis; perianthio obovato dorso convexo medioque subtùs altè carinato marginibus deflexis carinâque denticulatis. Tab. 1, fig. 2.

Habitus *Lejeuniæ ericoidis* sed hujus loci. *Color* pallidè viridis. *Retis* areolæ parvæ, hexagonæ, areolis intercalaribus distinctis. *Calyptra* obpyriformis stylo breviusculo coronata. *Capsula* globosa brunnea rugosa, pedicello brevissimo fulta, quo fit ut et matura in perianthio remaneat carinæque hujus scissurâ nuda evadat. *Elateres* tubulosi, fibrâ planâ simplici, gyris utriculo contiguis. *Sporæ* polyedræ, fuscæ, globulis minimis repletæ.

Locus in systemate propè *J. hiantem* Lehm. et Lind.

Quillota in Chili ad cortices arborum in sylvis umbrosis. (Montag. Hochstett. n. 1061 è coll. Berteroanâ.)

3. *Jubula Gaudichaudii* N. et M.

J. caule procumbente pinnatìm ramoso elongato, foliis imbricatis subhorizontalibus (junioribus deflexis) ovatis obtusis integerrimis, lobo baseos repando infernè plano supernè invo-

luto in auriculam oblongam obtusam tectam à margine baseos distantem, amphigastriis folia æquantibus imbricatis cordato-orbiculatis repandis basi decurrentibus apice acutè obtusève bifidis; fructibus in ramulis propriis lateralibus secundis; foliis amphigastriisque involucralibus profundiùs divisis; perianthio ovato triquetro seu subtùs carinato mucronato; ovarium obovatum stylo incrassato præditum, capsula.....

Jungermannia Tamarisci var. *longa* Schwægr. in Gaudichaud Voyage de l'Uranie, Botanique, p. 217.

Habitat ad Rio de Janeiro Brasiliæ. (Herb. Montag.)

Differt ab affinibus *J. cordistipulâ, divergente, nepalensi* cet. auriculâ propter marginem folii dorsalem deorsùm in lobum obtusum repandumque productam ad speciem mediæ ferè basi ejus inhærente, tum vero staturâ majori 3-4-pollicari, foliis cauli haud circumvolutis, nonnihil repandis. Amphigastria rotunda, lata, repanda, in medio longitrorsùm gibba, ad 1|6 acutè obtusève bifida, laciniis obtusiusculis rectis. Retis areolæ subrotundæ areolis intercalaribus 6-8 distinctissimis cinctæ. Caulis fuscus, rigidus, arrhizus. Rami regulariter patentes subæquales, plerique simplices. Perianthia ad latus internum ramorum secunda sessilia, ovata subtùs acutè carinata vel triangularia, mucronata, folia et amphigastria involucralia vix superantia.

A Jubulâ replicatâ distinguitur auriculæ formâ et situ diversissimis. Inter omnes huic auriculæ minimæ sunt et facilè oculos effugientes, præsertim in foliis caulinis.

4. *Jubula (Jungerm.) mucronata* Lehm. et Lind. Pug. VI, p. 54.

In Peruviâ ad *Parmeliam leucomelam* à cl. d'Orbigny lecta cum calycibus. Collect. Mus. Par. n. 351.

Ad specimen originale à cl. Kunze ad Montagneum missum, vera hæc est *Jubula* (*Jungerm.*) *mucronata* L. et L. Differunt autem specimina nostra : foliis deflexis nec erecto-divergentibus, auriculis caulinis et ramorum majorum cylindricis nec vice versà ramulorum extremis; foliis involucralibus caulinis duplò *majoribus*; perianthio cylindrico.

Nostris speciminibus diagnosis potiùs hæc respondere videtur.

J. caule procumbente bi-(tri-?) pinnato rigido, foliis imbricatis orbiculato-ovatis mucronatis decurvis in sicco cauli circumvolutis, auriculis tectis cylindricis obtusis cauli parallelis, ramulorum superioribus lanceolato-subulatis canaliculatis recurvis,

amphigastriis subimbricatis ovalibus basi sagittatis margine reflexis bifidis laciniis obtusis; fructu in ramulis brevibus terminali, foliis amphigastriisque involucralibus amplis imbricatis bi-trifidis serratis; perianthio subcylindrico coriaceo involucro duplò longiore ore sexfido, laciniis setaceo-cuspidatis in mucronem conniventibus.

Color fuscus. Retis areolæ minutæ, oblongæ. Amphigastria rigidula. *Involucri folia* et *amphigastria* conformia, subæqualia, bi-trifida, laciniis ovatis acuminatis ciliato-serratis. Perianthium 1/2 lin. longum, læve, brunneum, chartaceum, rigidum, laciniæ ovatæ, apice connatæ in stylum filiformem cylindricum truncatum, quo denique discisso singulæ partes ejus residuum veluti pilum longum in apice secum auferunt. Ovarium in fundo perianthii obovatum vertice rotundato nulloque stylo præditum. Ad basin ovarii fertilis pistillum alterum abortivum, stylo longo, ovario brevi subinflato. An igitur stylus pistilli fertilis cum perianthio concretus idemque excedens mucronem, de quo suprà diximus, perianthii producit?

VII. SYMPHYOGYNA N. et M.

Perianthium nullum. *Involucrum* monophyllum, squamiforme, incumbens, dentatum. *Calyptra* lævis, exserta, coriacea, ore à stylis sterilibus persistentibus fimbriato. *Elateres* dispiri, fibris planis arctè contrarièque contortis coloratis. *Semina* globosa.

Fructificatio feminea. Involucrum, squama rigidula, variè fissa genitalia tegens, è nervo frondis orta, plana aut subconvoluta. *Pistilla* multa, basi connata in globum carnosum stylis liberis coronatum, in cujus centro ovarium pistilli fertilis immersum latet. Adolescente fructu, globus iste communis, increscit in calyptram ob eam caussam crassam et coriaceam, pedunculum cum capsulâ foventem verticeque à stylis residuis coloratis coronatam, quo denique disrupto capsula prodit. Calyptræ *Os* post emissum pedunculum stylis residuis cinctum fimbriatumque. *Pedunculus* longus, basi subbulbosus. *Capsula* oblonga. *Elateres* parietales, fusiformi-filiformes, flexuosi, opaci. Fibræ coloratæ, latiusculæ, arctè sensuque adverso contortæ, sub lente fortiori quasi tessellatæ. *Semina* globosa minutè granulata.

Fructificatio mascula vel in ejusdem cum femineâ vel in diversæ frondis paginâ superiori secundùm nervum disposita. *Folia perigonialia* imbricata, incisa, membranacea, bullata. *Antheræ* brevi filamento suffultæ, depresso-globosæ, incumbentes.

Habitus. Frondes lineares, dichotomæ, membranaceæ, nervo medio distincto præditæ, è nervi paginâ superiori fructum promentes, subtùs per intervalla è nervo radicantes, aut inferiùs in stipitem radicantem et repentem abeuntes.

Locus in systemate post *Echinomitrium*. Ad hoc genus, præter tres sequentes, etiam pertinet *Jungermannia Phyllanthus* Hook. et probabiliter *J. rhizobola* Hook.

1. *Symphyogyna brasiliensis* N. ab E.

S. fronde procumbente repente lineari-dichotomâ divaricatâ in ambitu subrepandâ undulatâ, involucro lato membranaceo lacero, stylis circa os calyptræ reflexis.

Jungermannia brasiliensis N. ab E. in Mart. Fl. Bras, 1. p. 328, n. 6. Mart. Icon. select. I, 2, t. 15.

Habitat in montosis glareosis Brasiliæ ad Villa ricca et ad S. Juan Baptista Minarum generalium. à Martius. (†)

Quem calycem l. c. diximus, vera calyptra est. Calyptra præter hunc nulla omninò adest, sed in tenero flore maximèque imperfecto, quem olim dissecui, capsulam inveni tenerrimam, limbo, ut solet, pellucido sub microscopio composito cinctam, eâque deceptus specie, calyptram adesse censebam intrà calycem illum; perperam equidem. Deleantur igitur quæ l. c. circà hanc rem traduntur.

Adnot. I. In icone Martianâ l. c. exhibitâ, figuræ nonnullæ naturæ haud omninò conveniunt.

Adnot. II. *Jungermanniam Lyellii* Lehm. Fl. cap. in Linn. IV. 3. p. 470 lubenter ad hocce genus referrem, nisi calyptræ intra calycem sic dictum interiorem, calyptræ *Symphyogynæ* generis respondentem, auctor mentionem fecisset. Probè autem notandum capsulæ valvas plerumque octo tribui ab auctore accuratissimo, quod, si ad similes casus, v. c. in *Jungermanniâ asplenioide* obvios (N. ab E. Lebermoose II, p. 424 adnot.) respicis, formam anomalam gemellumque florem prodit, cujus altera pars calyptram liberè evolvere potuerit illæso generis charactere.

2. *Symphyogyna Hochstetteri* N. et M.

S. fronde substipitatâ, stipite repente alato ramoso, dilatato in frondes dichotomas lato-lineares obtusas, in ambitu obtusè lobulatas, distinctè nervosas, fructificationibus infrà nervi divisuras vel ex ipsâ bifurcatione nascentibus, involucro convoluto laciniato, laciniis subulatis.

In Juan Fernandez insulâ ad saxa secùs rivulos locis udis umbrosisque montium cum *Pterygophyllo* quodam, *arcuato* simili, sed caule repente pinnisque depressis, foliis à nervo excurrente aristatis minutè serrulatis recedente, Aprili et Majo A. 1830 legit Bertero. (Herb. Hochstetteri, n. 1599.) (Herb. Montag. n. 45, sub *J. rhizobola ?*)

Jungermannia rhizobola Montag. Prodrom. Fl. Fernand. in Ann. des Sc. nat., août 1835, p. 95, nec Hook.

Frondes è Rhizomate densè radiculoso brevi lacero-alatæ pollicares circiter, 2-2 1/2 lin. latæ, decumbentes aut adscendentes utrinque glabræ et nudæ lætè virides, teneræ, planæ, margine nonnihil undatæ et irregulariter lobatæ, sinubus angustis acutis lobis rotundatis, semel, bis-terve dichotomæ, laciniis acuto angulo divergentibus, extremis breviter bilobis; retis areolæ in strato simplici subrotundo-angulatæ, pellucidæ, limitibus crassis è lineis binis intervalloque virentibus conflatis, areolæ intercalares nullæ. *Nervus* validus dichotomus, concolor, parenchymate compactiori densiori cellulis angustioribus minoribus pauló magis elongatis plurium ordinum. *Involucra* feminea in nervo antè divisuram, atque in ipso angulo nascuntur, incumbentia, convoluta, plicata, 7-9 fida, laciniis lanceolato-subulatis obtusiusculis, tribus mediis longioribus; reticulatio frondis sed paulò laxior. *Pistilla* quàm plurima, in sinu involucri congesta, basi connata, inæqualia, subcylindrica, incurva flexuosaque, apice abruptìm contracta acumine truncatulo, pellucida, lutescentia, areolis (sub microsc. comp.) biseriatis subquadratis, axeos elongatis obscurioribus. His pistillis liberè inspersa sunt corpuscula parva, ovalia, obsoletè reticulata, in ambitu hyalina, in disco rufescentia; an antheridia à flore masculo hùc delata?

Symphyogynis (*Jung.*) *brasiliensi* et *difformi* Fl. Bras. propinqua, à quâ posteriori differt figurâ regulari, fronde latiori planiusculâ margine lobatâ; à priori autem, cui sanè magis propinqua, fronde haud divaricatâ latiori, margine lobatâ, et involucro tenuiori magis laciniato, tum stipite distinctiore. A *Symphyogynis Hymenophyllo* Hook. et *rhizobolâ* Hook. frondium figurâ ambituque qui hisce acutè dentatus, distinguitur.

3. *Symphyogyna difformis* N. ab E.

S. fronde substipitata, caule repente radiculoso, dilatato in frondes palmato-effusove dichotomas laciniis linearibus obtusis crispis, nervo distincto, involucro ad dichotomias frondis convoluto cyathiformi lacero-ciliato.

Jungermannia difformis N. ab E. in Mart. Fl. Bras. I. 1. p. 329, n. 7.

β. *torta*; caule primario fasciculatìm prolifero, laciniis valdè irregulariter dichotomis tortis. N. ab E.

In Brasiliâ (Sello.)

Var. β in sylvaticis depressis udis Districtûs Adamantum (à Martius.) In Jamaicâ (Herb. Lindenberg.) ♃

4. *Symphyogyna circinata* N. et M.

S. fronde procumbente repente lineari-dichotomâ in ambitu integerrimâ undulatâ, apicibus sterilibus attenuatis plerisque circinatìm incurvis, involucro plano truncato apice brevi-dentato.

Quillota in regno chilensi, ad terram locis muscosis udis secùs fossas, Augusto et Septembre cum fructu perfecto legit Bertero 1829. (Herb. Montag. et Hochstett. n. 1066 Collect. Berter.)

Frondes cæspitosæ, sibi irregulariter incumbentes, 1-2 1/2 pollices longæ, 1 1/2-2 1/2 lineas latæ, lineares, irregulariter dichotomæ flexuosæ, subtùs per intervalla fibris simplicibus fasciculatis repentes; laciniæ extremæ angustiores, attenuatæ, incurvæ aut circinatæ; apice radiculosæ; margines nonnihil adscendentes, undulati, irregulari modo repandi et subdentati; color pallidè viridis; nervus medius crassus; textura tenuis è cellulis inæqualibus angulatis lineis discretis circumscriptis, in nervo pauló minoribus et in pluribus stratis dispositis. *Fructificationes femineæ* è nervo medio, sæpè seriatæ, approximatæ. *Involucri* squama subrectangula, truncata: rigida, apice 3-5 denticulata. *Styli* 7-9 cylindrici, basi concreti. *Calyptra* adulta clavato-subcylindrica, 2 lin. longa, subcompressa, apice rumpens stylisque sterilibus rufescentibus fimbriolata. *Pedunculus* 1 poll. longus. *Capsula* oblonga, fusca, lineam ferè longa.

Fructificatio mascula in ejusdem individui aliusve laciniâ pauló angustiori

longo sæpè tractu disposita. *Squamæ* imbricatæ, transversæ, eroso-dentatæ, convexæ, superficiem nervi quasi tuberculato-exasperatam tumentemque exhibentes. *Antheræ* crassiusculæ, depresso-globosæ, filamento brevi fultæ, incumbentes, rufescentes, sub fornicibus bractearum singulis singulæ, apice rumpentes.

MARCHANTIEÆ.

I. REBOUILLIA Raddi.

1. *Rebouillia chlorocarpa.* N. et M.

R. fronde subcoriaceâ oblongâ bifidâ suprà viridi, margine paginâque inferiori squamis undique obtectâ purpureis; receptaculis terminalibus subgeminatis convexis bi-quadrilobis centro pedunculoque crasso basi barbatis, capsulâ viridi.

In Chili (Herb. Montagne).

Capsulâ lætè virente, squamis frondis paginam inferiorem tegentibus magnis ad marginem protensis, totoque habitu fructûs distincta. Color frondis suprà viridis. Accedit ad *R. madeirensem* Raddi.

ADDENDA.

Ad Montagnei descriptiones Fungorum ex Insulâ Juan Fernandez à Bertero adlatorum.

1. *Polyporus senex.* N. et M.

P. (Apus Biennis) *grandis*, pileo utrinque planiusculo subberoso castaneo-fusco glabrescente margine acuto concentricè rugoso, rugis tuberculato-rugosis, poris ferrugineis angustissimis substantiâ pilei multò longioribus.

Agaricus, n. 424, Bertero in Herb. Hochstett.

In truncis putridis annosisque sylvarum densissimarum montium Insulæ Juan Fernandez Bertero legit. (Herb. Hochstetteri.)

Polyporo gibboso Fl. Jav. accedit habitu, sed caret stipite et pileus planus est multô tenuior. Obovato-flabellatus fuisse videtur, sessilis, pedem latus, 10 poll. longus, ad basin, ubi subtùs convexus, 2 pollices crassus, hinc mar-

ginem versùs tenuior. Margo subundatus, acutus, leniter decurvus. Suprà planus, rugis multis profondè discretis retrorsùm subimbricatis inæqualiter tuberculato-rugosis zonatus, testarum concharum, quas « *antiquatas* » dicunt, haud absimili modo, impressionibus aliquot radiantibus latiusculis notatus. Jam glaber est, at adsunt vestigia hirsutiei; coloris est fusci, basi nigricans et grossè verrucosus. Massa receptaculi, molem si spectas fungi, pertenuis, vix lineâ crassior, flocoso-contexta. Tubi longi, angusti, intùs fusci, raró, nec nisi ad basin pilei, e pluribus stratis compositi. Pori exigui, rotundi, margine acuto, in plano dispositi.

Efflorescunt hinc indè in superficie pilei juveniles parvi lineam unam et alteram lati, subrotundi, resupinati, verruciformes, vel disciformes.

2. *Polyporus limbatus.* Fries in Linnæâ.

β *actinophorus.* N. et M.

P. (Apus annuus) suberosus, pileo coriaceo subtilissimè velutino concentricè sulcato radiatìm dissitè striato rufescente, margine acuto subtùs sterili porisque parvis pallescentibus.

In insulâ Juan Fernandez ad truncos legit Bertero. (Herb. Hochstetteri.)

3 3/4 poll. latus, 2 1/2 altus, semicircularis, depressus, basi utrinque emarginatus, suprà incrementis concentricis tumidulis saturatiùs dilutiùsque ochraceo-rufis zonatus, subtilissimè velutinus; radiis paucis distantibus subtilibus impressis pallidis à basi ad ambitum decurrentibus notatus. *Superficies inferior* convexa, minutè ruguloso-undata, pallidè ochracea. Margo acutus, subundatus, integer, pallens, subtùs angusto spatio aporus. *Massa* densa, luteo-pallida; receptaculum poris duplò altius. *Pori* subæquales, parvi, rotundi, subangulati, margine obtuso.

Observ. Lineis radiantibus superficiei à formâ communi distinctus, neque tamen cum *P. radiato* conferendus.

3. *Trentepohlia polycarpa.* N. et M.

T. filis densissimè cæspitosis subfasciculato-ramosis, ramis erectis fastigiatis asperis, articulis obsoletis diametro parùm duplove longioribus; fructibus lateralibus crebris sessilibus truncatis subcylindricis punctato-asperis. (Color griseus.)

In ramis putridis Insulæ Juan Fernandez.

Quod ad habitum accedit *Trentepohliæ aureæ*, sed differt : filis longioribus diverso modo ramificatis muricato-asperis, articulis valdè irregularibus et oblite-

ratis lineâ tammodò tenuissimâ pellucidâ indicatis, maximèque fructibus ad latera ramorum crebris sessilibus subcylindricis aut ovalibus tuberculato-asperis truncatis, disco vel depresso margine crenulato, vel convexo et subconico.

TABULARUM EXPLICATIO.

TABULA I.

Fig. 1. *Lophocolea æquifolia.* Plantula naturâ duplò major; *b.* caulis pars cum foliis, aucta; *c.* eadem à latere inferiore visa, ubi amphigastriorum forma et confluentia cum margine proximi folii, facile cernuntur; *d.* folium involucrale, auctum; *e.* amphigastrium involucrale, auctum; *f.* perianthium valdè auctum, cum foliis involucralibus; *g.* idem laceratum in cujus fondo calyptra perspicitur sed rupta; *h.* capsula adhuc immatura è calyptrâ g, arte extracta; *i.* folium involucrale *Lophocoleæ (Jungerm.) heterophyllæ*, auctum, cum eodem hujusce nostræ conferendum.

Fig. 2. *Jubula quillotensis. a.* Planta naturali magnitudine; *b.* caulis pars suprema cum foliis à dorso visa, aucta; *c.* ramus fertilis cum perianthio à latere superiore visus et auctus; *d.* idem à ventre visus, auctus; *e.* folium rameale aut caulinum supremum à latere inferiore visum, auctum; *f.* folium caulinum auctum cujus auricula amphigastriumque admodùm variat formâ pro vario plantæ loco ubi perspicitur; *g.* folium involucrale, auctum; *h.* idem vi complanatum ut dentes appendicis s. laciniæ faciliùs conspiciantur; *i.* amphigastrium involucrale, auctum; *k.* calyptra obpyriformis styloque suo coronata capsulam ferè maturam continens, aucta; *l.* capsula globosa, rugosa, aucta; *m.* elater valdè auctus cum sporâ huic adhærente; *n.* sporæ polyedræ sub microscopio composito globulos minimos ad speciem continentes.

Fig. 3. *Lejeunia trematodes.* Caulis pars media cum foliis et amphigastrio à latere inferiore visa ad augmentum mediocrem, quo character specificus à lacunis foliorum orbicularibus et duplici serie dispositis faciliùs intelligatur.

TABULA II.

Fig. 1. *Plagiochila Montagnei. a.* Planta naturali magnitudine; *b.* folium caulinum à dorso visum, auctum; *c.* idem à latere inferiore visum, eodem augmento; *d.* perianthium cum capsulâ apertâ et foliis involucralibus, auctum.

Fig. 2. *Jubula Gaudichaudii. a.* Planta naturali magnitudine; *b.* caulis pars cum foliis, aucta; *c.* eadem cum amphigastriis à latere inferiore visa, aucta; *d.* folia caulina magis amplificata lobuloque suo, amphigastris evulsis, instructa; *e.* amphigastrium sinu scissuræ obtuso gaudens, auctum; *f.* aliud sinu acuto præditum; *g.* ramuli pars capsulam et folia involucralia gestans à latere superiore visa, aucta; *h.* eadem à latere inferiore s. ventre visa, eodem augmento; *i.* pars valdè aucta folii, undè areolarum retis forma dispositioque pateant; *k.* areolæ ejusdem magis auctæ.

Fig. 3. *Lejeunia Neesii. a.* Plantula naturali magnitudine in folium peregrinum quoddam parasitans; *b.* summitas caulis à latere inferiore visa, aucta et in *c.* surculum juniorem gestans; *d.* perianthium cum folio involucrali, auctum; *e.* idem cum foliis et amphigastris involucralibus, eodem augmento; *f.* folium caulinum magis auctum cellularum retis formam oculis subjiciens (*Nota.* areolæ paulò majores quàm natura delineatæ sunt.); *g.* amphigastrium caulinum, auctum; *h.* Calyptra rupta styloque coronata et capsula quadridentata pedicello suo celluloso suffultâ ab illâ erumpens, auctæ; *i* et *k.* foliorum involucralium formæ, auctæ.

Imprimé chez Paul Renouard, rue Garancière, n° 5.



Fig. 1. Lophocolea æquifolia. Fig 2. Jubula giullotensis. Fig. 3. Lejeunia trematodes.